



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio V. Sententia P. Vasquez & aliorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
9. 2. a. 1.

se adstringit actui, cui annexa est necessariò omisio maioris boni, & omisio alterius actus liberi annexitur necessariò exercitium minimi boni, non est in actu primo libertatis sufficiens extensio. sicut inter obiecta turpia non peccat, qui eligeret minus turpe: quia illi electioni annexa est necessariò carentia turpioris, in sensu explicato §. 91.

§. 101. Arguunt Secundò, ex Deo. Tertio, ex Christo, quibus respondi §. 94. & 95. Arguunt Quarto, quia in operibus Christi, quod præcipue attenditur, est valor: hic autem per se est idem in omnibus actibus: ergo. Respondeo, hinc probari Christo non esse nisi vnum meritum: quia quod præcipue attenditur, est valor: hic autem est per se vnum in omnibus. Distinguo Maiorem: quod præcipue attenditur in ratione dignificandi, concedo esse valorem. Item concedo præcipuum caput eius valoris esse per se vnum, quod est Verbum ipsum; nec tamen solum: pertinet enim ad valorem bonitas intrinseca ipsis actibus: nego autem valorem attendi quoad liberam oblationem muneris: hæc enim est solus actus liber: libertas enim non versatur circa valorem Verbi. Considerat igitur Deus oblationem liberam cum circumstantia valoris ab hypostasi: oblatio autem libera non est æqualis ex se, sed per se inæqualis. Si autem admittamus possibilem puram omisionem, potuit non offerri nec valor, nec validum: quam in multis occasionibus admitto: in quibus nihil vrget hoc argumentum. si verò Christus sit exerciturus necessariò aliquem actum, exercebit eum, qui ex se melior est: quod satis est ad meritum. omnes autem actus Christi esse æquales, est in concreto, & per accidens ratione suppositi: at per se, & in abstracto sunt inæquales: quod satis est ad meritum, de quo inferius.

§. 102. Quintò mouentur. Si eo per se meritum est, quia actus exercitus liberè est melior actu omisso: ergo non est meritorius ratione substantiæ, sed ratione excessus: hoc autem est absurdum: ergo. Maior probatur: quia ideo non meretur actus exercitus, quia actus annexus eius omisio est æquè bonus. Nego Maiorem. Ad probationem, respondeo actus inæquales non esse æquales secundum vnã partem, inæquales verò secundum aliam: sed totos actus esse essentialiter inæquales. Vnde tota substantia est libera moraliter, & meritoria. Si autem consideres moraliter aliquam æquiualentiam vnus actus cum alio explicatam per ordinem ad præmium debitum ratione obiecti: adhuc est libertas moralis in tota substantia actus, quia tota illa est amor liber de excessu obiecti; & de tota substantia obiecti: sed illa ratio amandi maius bonum est bona moraliter: ergo & tota substantia actus. Item substantia obiecti est intrinsecè melior: igitur actus omni ex capite est bonus.

§. 103. Vltimum argumentum capitur ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 16. definienti, iustificatis, & rectè operantibus, & liberè, & ex gratia per Christum nihil deesse, quo minus mereantur vitam æternam, & eius augmentum. Confirmatur. Illa opera sunt ex gratia per Christum. Respondeo, libertatem accipi à Concilio cum extensione explicata, qualis includitur in peccatoribus, & qualis naturaliter contingit. De hac autem libertate tam adstricta Concilio nec cogitauit quidem. Ad confirmationem, responderetur ex gratia per Christum fieri in nobis multos actus supernaturales

quoad substantiam, qui directè fiunt à gratia per Christum, vt à causa principaliori, qui tamen non merentur vitam æternam: quales sunt subitæ aliq̄ excitationes intellectus & voluntatis, visio item beata, & amor beatificus, qui sunt dona per Christum; ad quorum tamen substantiam necessaria est gratia supernaturalis.

SVBSECTIO IV.

Alia eiusdem sententia explicantur.

§. 104. **P** Monzeus disp. 9. cap. 11. à vers. *Ea verò*, defendit potuisse Christum mereri amore beatifico, quia necessariò est quoad substantiam, vel speciem; est tamen liber quoad diuersa indiuidua, non quidem ob electionem subiectiuam, cuius memini §. 83. sed obiectiuam. Beatus intuens Deum cognoscit in Deo plures creaturas: visio beata illum adstringit ad amandum Deum, non tamen ad amandas creaturas, nec ad procuranda Deo extrinseca bona, nominis celebrationem, honorem, idque genus alia. Potest beatus exercere amorè solius Dei, qui amor est omnino liber quoad indiuiduum, quia potuit non esse. Potest item amare Deum cum celebratione nominis, alijsque bonis externis, quæ Deus plurimi facit. Hic actus etiam est liber, non solum in intrinseca indiuiduatione, sed etiam ratione obiecti secundarij, quod ita amatur à beato, vt potuerit non amari, vel per puram omisionem actus, vel per positiuam, qua diceret, Nolo amare creaturas: visio enim Dei adstringit beatum ad aliquem amorem Dei vagè, non tamen ad hunc in singulari, vel ad illum.

§. 105. Fateor hanc sententiam non quati machinis, quibus superior: quia offert Deo actum aliquem meliorem, quem posset omittere beatus. item offert Deo bona æstimata digna, ad quæ, nec ad alia æquiualentia, non tenetur beatus. Impugnatur tamen: quia licet Christus ratione præcepti non sit adstrictus ad ea bona procuranda Deo; est tamen ratione perfectionis. Vnde concludo alterum è duobus, aut Christum posse esse imperfectum, quia potest omittere maius bonum, aut eius impotentiam ad imperfectione esse explicandam per æquale desiderium Dei circa obiecta bona. Sic autem quid est opus, vt huiusmodi se conijciant in angustias indiuiduorum, cum illis pateat amplius campus ad diuagandum per actus diuersos in specie? Vtrum actus ille sit liber, disquiram paulò post.

SECTIO V.

Sententia P. Vasquez & aliorum.

§. 106. **C**hristo non esse præceptas omnes circumstantias, nec motiua, ea que ratione componi libertatem cum impeccabilitate, dixit apertè B. Thomas qu. 18. art. 4. ad 3. constituens Christum determinatum ad bonum in communi, non tamen ad hoc, nec ad illud determinatè. Consentiant P. Valent. disp. 1. q. 19. punct. 2. vers. *Magis igitur approbo*. Vasquez disp. 47. c. 5. Monz. disp. 9. c. 10. Ragula 2. p. disp. 2. Quam sententiam probabilè cenlet P. Suarez disp. 37. sect. 3. v. *Hæc responsio*.
§. 107.

§.107. Hæc sententia duas continet partes: Primam, Christo non fuisse præceptas omnes circumstantias atque motiua: ob quod moriendi fuerunt libera non solum in intentione, & alijs considerationibus indiuiduis, quibus Christus elegit hunc locum, tempus, &c. sed etiam quoad speciem: Christus enim potuit liberè eligere obedientiam strictam, charitatem moralem, theologiam, & alias similes, ex quarum obiecto formali amato potuit Christus obire mortem, eamque pro nobis offerre. quam ego amplectar libenter, vt constitutam omnes actus Christi immediatè liberos quoad exercitium cuiusque, & quoad speciem: potuit enim nolle per illos mori.

§.108. Secunda pars est, Christo præceptam substantiam mortis. Quod potest accipi dupliciter: primùm dependenter à voluntate Christi, accipiente præceptum cum facultate illud reiiciendi, ita vt consideretur Christus potens acceptare & recusare præceptum: quia Deus eius arbitrio permisit acceptionem, & reculationem: si recusaret præceptum, illud Deus abrogaret; si verò Christus illud acciperet, Deus in illo perciperet. quam voluntatem videtur recusare P. Vasquez, quem expono de præcepto præscribente singulas circumstantias: quia eius executio non esset immediatè libera, sed tantùm mediatè in illa voluntate, illud non recusante: voluntatem autem acceptantem substantiam præcepti solum, non præscribentis singulas circumstantias, non negat P. Vasquez: cum qua componi potest immediata libertas in singulis actibus, vt dicam à §.118. Vel potest intelligi hoc præceptum de substantia mortis independentem à voluntate Christi, aut petente, aut acceptante: ita vt Deus in illo esset perseveraturus: quia Christus non peteret eius abrogationem; nec si peteret, abrogaretur. nec eam potest efficaciter petere, si sciret eam esse certam voluntatem Dei.

§.109. In quo sensu ab ea sententia dissentio. Primùm, quia non satis componitur cum Isaiâ asserente Christum oblatum, quia ipse voluit: quod si præcepto coactus est ad moriendum, quod nec recusare potuit, nec non exequi: ergo oblatum est, non quia ipse voluit, sed quia Pater ita præcepit. Nec item cum Paulo asserente Christum proposito sibi gaudio sustinuisse crucem confusione contemptâ. Ex quo loco S. Chrysostr. & multi alij colligunt, fuisse in potestate Christi eligere, & recusare crucem. de quo disseram disp. 77. Tandem, non satis congruit Euangelio, vbi Christus dixit se posse petere à Patre legiones angelorum, à quibus propugnaretur. quod apertè significat sibi liberum esse petere à Patre vendicationem à morte. Ipse idem Christus dixit in sua esse potestate animam tollere, & ponere, id est, exponi morti, & illam recusare. Nec existimo hanc voluntatem, qua Christus potuit recusare præceptum, & eius abrogationem petere, item qua liberè præceptum accepit, ab vilo Theologo reiici; sed supponi ab omnibus. Quæ autem negatur ab aliquibus, est ea, quæ negat cæteris actibus immediatam libertatem: qualis esset voluntas accipiens præceptum de singulis circumstantijs, cum quo non esset immediata libertas in actibus exsequentibus, sed tantùm in acceptante præceptum illud: at si præceptum non sit, nisi de substantia mortis, omnes eius executiones voluntariæ sunt etiam libera: immediatè: substantia au-

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. I.

tem mortis externæ esset libera à sola voluntate acceptante præceptum. hæc autem compossibilis est cum ea libertate: à nullo ergo negatur. In quo sensu facillima est hæc sententia; soluunturque difficultates sine vlla vi. Igitur præceptum de substantia mortis solum cum facultate illud recusandi est valdè probabile & facile defensu.

§.110. Lorca disp. 63. à num. 25. asserit hanc sententiam esse alijs probabiliorem: eam enim impugnat. Primùm testimonijs indicatis §.109. ex Scriptura, quæ significant Christum esse indifferentem ad vtrumque: quod non contingeret, si ipsi fuisset præcepta mors: ob quod ipse negat tale præceptum. Vt autem tueatur obedientiam Christi in moriendo, asserit Christo insinuatam esse voluntatem Dei de obeunda morte: quæ voluntas non est præceptum strictè, sed latè: quia est consilium, cuius executio spectat ad obedientiam non minùs, quàm executio præcepti. Suo loco disseram de præcepto mortis, aut consilio, & de tota doctrina obedientiæ circa consilia. Hic probo Lorcam eadem virgeri difficultate. Constat ex disp. superiori à §.33. consilio æquè adimi libertatem Christo, ac præcepto: quia omnino repugnat Christum esse imperfectum discedentem à voluntate Dei consiliatrice: ergo si ad libertatem perfectam, & exponendas Scripturas exigitur carentia præcepti, exigitur etiam carentia illius infinitatis. Argumento igitur patet ex §.109. ratione illius voluntatis accipientis præceptum cum facultate ad recusandum, illa omnia componi (vt ostendam à §.122.) Isaias quidem, quia Christus oblatum est, quia ipse voluit mori, non recusans præceptum mortis, quod potuit, nec illo fuit coactus, siquidem potuit illud abigere: oblatum igitur est, quia ipse voluit non recusare. Paulus autem planissimè exponitur: Christus enim proposito sibi gaudio de hominum salute per ipsius mortem libens noluit eam recusare, sed integras fæces calicis tunc animo haurit, cum primò conceptus in vtero, atque ex amore nostri flocci pendens confusionem, alacri animo amplexatus est crucem, illam in se volens, & illius præceptum accipiens. Eandem ob causam potuit à Patre petere legiones angelicas, potuitque item animam tollere, & ponere.

§.111. Secundò mouetur: Redemptio adscribitur morti Christi; in Scripturis nullibi adscribitur circumstantijs: sed in hac sententia non adscribitur morti, sed circumstantijs: ergo. Probatur Minor: quia Christus in ea non est meritus, quia mortuus est; sed quia mortuus hinc & nunc: ergo meritus est ratione circumstantiarum, non verò mortis. Probat antecedens: quia propositiones causales reddunt sensum formalem: at in sensu formali non est meritus, quia est mortuus: non enim potuit non mori.

§.112. Vt hanc difficultatem effugiat Lorca, negat Christo præceptum de obeunda morte, & admittit insinuationem voluntatis Dei, siue consilium: quæ voluntas insinuata occasionem dedit vt Christus obedientiam exerceret: quia verò non fuit præceptum, potuit Christus mortem non obire. Quæ via satis esset ad componendam libertatem cum impeccabilitate in obeunda morte, nisi Christus tum visione, tum vnione esset adstrictus ad exequendam voluntatem insinuatam Dei, siue consiliatricem, non minùs quàm ad præcipientem, vt ostendi disp. superiori §.33. Est ergo ca-

R 1 2 dena

S. Thoir.
q. 15. a. 1.

dem difficultas, nisi dicas potuisse Christum esse imperfectum, quod ibidem impugno.

§. 113. Ad argumentum ex §. 111. res est explicata facillima: potuit enim Christus mori, & non mori: quia ita præceptum accepit, ut illud potuerit reculare: quo labefactantur omnes technæ. In sententia autem P. Vasquez, ut frequenter circumferatur, miror à Lorca negari non adscribi redemptionem circumstantijs, attestante Paulo Christum exauditum pro sua reuerentia; quia Patrem rogauit cum lacrymis, & clamore valido, iam actus in crucem: at illa circumstantia fuisse: potuit enim mori obiri sine lacrymis, & clamore. Ad Maiorem, respondeo redemptionem non adscribi morti secundum se, sed ut liberè fuit obita: actiones enim externæ non sunt meritoria secundum se, sed ut exercentur liberè & honestè. Vnde distinguo Minorem: in hac sententia negatur redemptio morti secundum se, concedo Minorem; ut liberè obita, nego Minorem. Idem dixerim de circumstantijs extrinsecis de lacrymis, & clamore valido. Ad probationem, distinguo antecedens: non potuit non mori absolutè omittendo omnes actus moriendi, concedo antecedens; non potuit non mori per hos actus, nego antecedens. Vnde nego Christum non fuisse meritum per mortem: quia voluntas illa moriendi ita fuit in Christo, ut potuerit non esse, quia amata fuit circumstantia mortis, & potuit non amari: mors autem nullam habet honestatem, nec meritum. Vnde item deduces, meritum mortis quoad substantiam non posse separari à merito mortis hic & nunc: quia ut mors sit meritoria, est patiendi hic & nunc aliquo actu libero in singulari, cum omnibus circumstantijs honestis: qui actus cum libertate sufficienter extensa dat meritum morti, quin sit necesse posse illam omnino omitti: satis enim est libertas ad alios actus secundum se minus bonos. Propositio autem causalis per se primò cadit in actus internos, qui in substantia fuerunt liberi circa substantiam mortis ratione circumstantiarum.

§. 114. Pone igitur à Christo mortem obiri actu obedientia stricta: quem ipse potuit omittere, & exercere alium ex se minus bonum: Christus meretur per substantiam mortis: quia ut est ea substantia libera & meritoria, potuit omitti; quia est libera non secundum se, sed ut obita voluntate libera: at hæc voluntas libera potuit non esse: ergo substantia mortis est libera ab ea voluntate. non quidem libertate potente mortem omittere, ita ut omitterentur simul omnes actus moriendi (hoc enim esse non potuit) sed quia potuit omitti actus, quo est obita, & denominatur liberè volita. Hoc autem satis est ad denominandum extrinsecè liberas actiones externas, ut dicam latius à §. 118.

§. 115. Tertio mouetur: quia etiam præceptum fuit de motiuo mortis, ut eam pro nobis offerret. Respondeo potuisse etiam reculari præceptum illud, & difficultatem esse communem in voluntatis insinuatione. Item oblatio mortis potuit esse pro nouis actibus plurimum virtutum, qui non fuerunt præcepti, nec consulti.

§. 116. Quarto: ratio libertatis est essentialis ad meritum: ergo qua ratione actus est liber, est meritorius: sed per te mors non est libera secundum se, sed ratione circumstantiarum: ergo nec meritoria. Respondeo, mortem etiam esse liberam secun-

dum se: quia potuit reculari præceptum. Deinde mors in se non est libera: est autem libera ab actu interno: quia eadem ratione est meritoria, qua liber: est verò liber in tota substantia circa circumstantias, & circa mortem: quia illa omnia liberè amauit: causa autem libertatis huius est negatio præcepti circumstantiarum.

SECTIO VI.

Prima ratio conciliande libertatis in Christo cum necessitate ad perfectiora.

§. 117. **N**on solum gradiemur vna via satis regia, sed duabus: est enim hoc mysterium apprimè necessarium ad cognoscendam vim meritorum Christi, & magnitudinem in nos amoris, qui sponte cucurrit ad obeundam acerbissimam necem, nullo cogente; ut nos eriperet ab illa, qua in æternum non perituri, periremus.

SVBSECTIO I.

Libertas immediata & mediata actionum humanitatis Christi.

§. 118. **P**ramitto, actiones Christi Domini ut hominis esse tum voluntatis humanæ, tum externas, id est, à voluntarijs distinctas. In voluntarijs possumus disquirere immediatam libertatem, quæ illis solis inest: in externis autem non possumus inuenire immediatam libertatem, sed mediatam: quæ libertas immediatè est actui imperanti actionem externam, aut alicui volitioni priori, aut non impediendi imperium internum: ab actu autem imperante actio imperata est libera. Verbi gr. ego moueo manum: voluntas eam mouendi est mihi immediatè libera, quia oritur immediatè à voluntate ut libera; motus manus est mihi liber absolutè: quia absolutè est in mea potestate, non tamen immediatè liber: quia non oritur immediatè à voluntate, sed ab alia potentia carente libertate.

§. 119. Actus voluntatis Christi, imperans actiones externas, aut amans rem præceptam, non potest esse liber immediatè, & in se, si omnia Deus præscribat præcepto aut consilio; sed opus est ut relinquatur Christo aliqua capita neque præcepta, neque cõsulta, à quibus actus libertatem aucupetur. Exempli gr. si Deus præscribat Christo mortem obeundam Hierosolymis eodem in loco, patibulo, hora, motiuis, intentione, & alijs adiunctis; ille actus non potuit esse liber immediatè, & in se, quæ apertè constant ex tota disp. quia nec exemplo determinationis, nec præfinitionis posse componi, ostendi sect. 1. & 2. nec puram omissionè frequenter admitti, probavi sect. 3. Quæ si admittatur, est culter ad præcidenda omnia hæc fila. si verò Christo præcipiatur nex offerenda pro hominibus, nex & oblatio sunt Christo fatales perseverante præcepto aut consilio: implicat enim Christum, id considerantem, non obire necem, & offerre Deo pro nostra salute. itaque Christus non potest tunc committere omnes actus voluntatis; quibus id præceptum